



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE SACRA AEDES SACRARIUM «DOMINI A MIRACULIS» IN DIOCESI SANCTAE ROSAE DE OSOS**

**AD GRADUM TOLLITUR BASILICAE MINORIS DIGNITATEMQUE** Ad perpetuam rei memoriam. – Sacra aedes illa honori cultuique Sancti Petri destinata in finibus dioecesis Sanctae Rosae de Osos in Columbia a principio iam tegit atque continenti Christifidelium venerationi ostendit suo in quodam sacello praeclaram Christi Iesu imaginem titulo appellari solitam «Domini a Miraculis», sive dicitur vulgari sermone «El Señor de los Milagros». Cum autem templum idem illud eiusque memoratum sanctuarium non modo artis sacrae praestantioribus emerit exemplis verum etiam ob id Christi Domini simulacrum prodigiosum a frequentioribus usque credentium inviseretur turmis, placuit Venerabili Fratri Ioachim Garcia Ordóñez ipsi Sanctae Rosae de Osos Episcopo petere hac ab Sede Apostolica ut pro sua dignitate et claritate sacellum istud rite eveheretur ad Basilicae Minoris liturgicum gradum. Nos proinde certo fore confisi ut additus hic perpulcher titulus adiuvet fidelium pietatem corroboretque vitae catholicae vigorem universa in dioecesi admodum libentes adsentimur precibus ita prolatis ac de sententia Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino constituimus harum Litterarum virtute ut sacrarium quod nominavimus «Domini a Miraculis» in templo Sancti Petri sacro dioecesis Sanctae Rosae de Osos ad statura promoveatur condicionemque Basilicae Minoris simulque ut adiciantur eidem sacello cuncta iura ac privilegia quae cultus locis hoc nomine honestatis legitime convenient. Praecipimus vero ut singula ea accuratissime serventur quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII foras datum oportet nimirum serventur. Contrariis quibusvis minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Martii anno MCMLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana